

190

*Epistolam Par. II. n. 7. Vicus extra urbem constabat e pluribus casis, nulla munitione septus. Vicus in urbe adium erat continuata series, non ipsa via, quæ suo nomine appellaretur. Ita apud nos Florentia Urbs in quatuor partes divisa, quæ patrio sermone i Quartieri dicuntur. Sed Vici Romæ a Diis, vel a Deabus, vel a propinquis aliquâ notâ insignibus locis, & aedificiis, vel templis, aris Deorum denominati fuere. In Municipiis vero, & Coloniis plures Vicos fuisse constat ex Vetustis lapidibus. Pisauri septem Vici nominantur in antiquo (\*) lapide apud Gruterum CCCCLXVII. 1. & Arimini MCXIV. 2. quos etiam Vicos Patronum sibi cooptasse discimus ex iisdem monumentis. Litera V, vitæ index, titulum sepulchralem viventes sibi posuisse ostendit.*

C X X X I I I.

**O**LLAS. OSSVA. *Ossuaria.* Ollæ erant fictiles Urnæ ad defunctorum cineres servandos in columbariis, seu ollariis plerumque positæ; Ossuaria vero urnulæ lapideæ. De utrisque erudite de more Fabrettus Inscr. Dom. Cap. I.

C X X X V.

**A**VGUSTALIS. C. Lentidii, ut puto, cognomen. Vid. Gruter. in Indice Cap. XXIII.

C X X X V I.

**D**EC. ESQVILINVS. P. Marcus P. L. *Esquilinus Decurio.* Ita hanc Inscriptionem legendam esse existimo. *Esquilini* cognomen in usu apud veteres fuisse testantur antiqui lapides in Grutero, quorum unus pag. DCCCXXIII. 3. RVFICANVM ESQVILINVM, alter p. DCCXCI. 4. IVLIAM ESQVILINAM exhibet. Optimi ordinis servandi causa decurios fuisse libertos, ac inde illis, qui his decuriis præessent, *Decurionis* nomen factum animadvertit post Guttherium Cl. Gorius in monumento seu Columbar. Libertor. & Servor. Liviæ Aug. pag. 87. & seqq. ubi de libertis Decurionibus, diversisque Libertorum decuriis eruditissime differuit. *Transpositio autem cognominis post officium*, ait Fabrettus Inscr. Dom. Cap. IV. pag. 300., *nec absurda nec nova*; ut liquet ex illis exemplis, quæ ibi doctissimus Scriptor adducit. CLX.

(\*) *Hic, etiam lapis ad Ariminenses pertinet. Vid. Not. XLI.*